



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Renovationis motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Ex Novo, & Patribus.

Accipit eum in ulnas. Luc. 2. 28. Per hoc, quod senex accipit infantem, instrumur; quod, deposita vetustate, debemus induere novitatem. Hugo Card. hic.

Implete hydras aqua. Joan. 2. 7. An non facilius, sine aqua appositâ, conditor vinum praberet? Rupertus in aqua infirmitatem nostram, ac spiritus corruptionem, agnoscit. Non igitur fit de novo merum, sed ex aqua generosum vinum: ut innuatur; aqueam infirmitatem nostram, diligentia adhibita, studioque innovationis, posse ad ferventissimam charitatem accendi. Escobar cit.

Facta sunt encenia. Joan. 10. 22. Theophylactus, & Euthymius, asserunt, in hoc solenni Enceniorum celebrari non templum, aut altare innovatum, sed, eversum omnino, primæ gloriæ restitutum, Escobar t. 2, Persecut. Chr. l. 12, Sect. 1, Obs. 2.

Vides cælum hoc, quam pulchrum, quam ædificatum, magnificentum, sit; quantum edurare poterit temporis. Jam enim quinque millia annorum, atque etiam plus, servatur, & constat; nec tamen longò temporis spatio effectum est, ut senescat: sed ad corporis modum adolescentis robusti, floret, vigetque, ætate: & quam principiò sortitum est pulchritudinem, eandem integerrimam servat; nulla ex parte factum deterius tantò spatio temporis. S. Chrysof. hom. 2. de incomprehensibili natura Dei.

Vestrum quilibet peccatum, velut serpens senectutem exuens; sic affectibus spoliatus, justitiamque indutus, redeat; alius ex alio factus. S. Basilius Cæsar.

§. II.

Renovationis motiva.

Ex Veteri.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Gen. 12. 1. Denuo Deus Abraham compellat, & invitatur ad egrediendum, de patria sua Ur Chaldaeorum jam egressum Gen. 11. 31. Ut præter effectum posteriori affectu cumularet; q. d. interprete Ruperto: l. 5. in Gen. c. 3. Sicut de terra Chaldaeorum corpore egressus es, animò quoque sic egredere. Nec aliter S. August. q. 24. in Gen. egredi jubetur; non ut corpus inde eiceret, quod jam fecerat; sed ut animam evelleret. Mendoza in 1. Reg. 2.

Veni, & mittam te ad Pharaonem. Ex. 3. 10. Deus cum Moyse familiariter locutus dixit. Sed, si Moyse coram Deo præsens aderat; quò ulterius evocatur? Lyran: licet, inquit, præsentia esset coram Deo; tamen dixit, *veni*: per hoc significans; ut deberet esse promptus mente, sicut erat præsens corpore. Mendoza ib.

Ascende ad Dominum tu, & Aaron. Ex. 24. 1. *Ascenderunt Moyses, & Aaron, & viderunt Deum Israel.* v. 9. 10. Sed jam in monte consistentem, iterum Deus in montem vocat: *ascende*, inquit, *ad me in montem.* v. 12, Id.

Audientis populus sermonem hunc pessimum, luxit; & nullus ex more indutus est cultu suo. Ex. 33. 4. Gravissima comminatio fuit illa Dei in populum: *non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis.* Lautiores vestes, quibus in illa celebritate Pentecostes, five legis divinitus acceptæ, ornabatur, deposuit. Sic poenitentium ritu exutum Deus alloquitur: *jam nunc depone ornatum tuum.* Ec statim: *deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum.* v. 5. 6. Cur denudatus denudari jubetur Respondet Burgensis addit, 3. non inculcari à Deo novam spoliationem, jam enim se omnes spoliaverunt; sed novam spoliationis præteritæ approbationem; ut, quod bene fecerant, fecisse gauderent; ac de suo sibi factò complacentes exultarent. Id.

Dies primitivorum, quando offeretis novam fruges &c. Num. 28. 26. Dies primitivorum status poenitentium est; qui primitias bonæ vitæ offerunt: novæ enim fruges novæ virtutes sunt. S. Bonaventura f. 1. in Virgil. Nat. D. Acceptissimæ Deo erant illæ oblationes, quæ novæ fruges primitivorum dicebantur. Seu, ut vocat S. Ambros. l. 2. de Cain, & Abel c. 6. nova novorum. Hoc est enim, ait, sacrificium primitivum, quando unusquisque se offert hostiam, & à se incipit; ut postea munus suum possit offerre. Mendoza in 1. Reg. 6. 7.

Ergo cunctos interfecite, quicquid est generis masculini. Num. 31. 17. Israelitæ contra Madianitas decertantes, juxta Moysis imperium, *omnes mares occiderunt.* v. 7. Et nihilominus, cum ex prælio victores revertentur, Moysen audiunt imperantem: *ergo cunctos &c.* Nonne jam omnes erant interfecit? Dici potest, nè Israel sui facti poeniteret; sed integrum adhuc propositum ulciscendi Dei hostes, non modò conservarent, sed etiam renovarent. Mendoza in 1. Reg. 3.

En panes, quando egressio sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumus; nunc siccis facti sunt. Jos. 9. 12. Gabaonitæ ab ingenuitate filiorum Israël exclusi, perpetuè servituti mancipati, rationem ipsi insinuant: *en panes &c.* Non poterant in domo Dei placere, quorum bona laborabant vetustate, nec de innovatione curabatur. Origenes hom. 5. in Levit.

Gabaonitæ illi condemnantur, & ligni caesores fiunt, vel aquæ gestatores: quia panes veteres ad Israelitas detulerunt; quibus lex spiritalis jubeat, semper uti recentibus, & novis. Bæza t. 2. l. 7. c. 1. §. 12.

Fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis. Jos. 22. 2. ait Josue ad populum jam in amicitiam cum Deo restitutum. Et tamen paulò post: *auferite*, inquit, *deos, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, ac in Ægypto; & servite Domino.* Jos. 24. 14. Si jam falsis aliis renuntiarent; quorsum iterum, renuntiare jubentur? Credo, ut, quod opere compleverant, novò animi decreto firmum, ratumque haberent. Mendoza in 1. Reg. 3.

Filius

Filius meus es tu; ego hodie genui te. Pf. 2. 7. Sic generatur Filius Dei à Patre, ut non possit veterascere; sed semper appareat, quasi recens, & novus, in vita. Hanc æmulare juventam; hanc procura tibi novitatem, qui divinò saturaris conviviò. 1. Petri 2. 2. *sicut modò geniti infantes.* Bæza t. 3. l. 14. c. 10. §. 33.

Concupiscet Rex decorem tuum. Psal. 44. 12. Excutiendum, quidquid in nobis resederit vetustatis; rugæ insuper omnes, ac maculæ, & labe, abluendæ: nosque ita excolendi, ornandique erimus; ut nostri decoris, & cultus, desiderio vel princeps ipse, & Dominus, capiatur. S. Chrysost. serm. quòd nulla resideat apud nos vitior. & malor. memoria.

Emittes spiritum, & creabuntur &c. Pf. 103. 30. Toties nos Dominus creat, quoties de vetustate peccati in novum hominem instaurare dignatur. Pf. 50. 12. *cor mundum creavit in me Deus!* Cassiodorus in Pf. 103.

Innova dies nostros. Thren. 5. 21. Quia conversio initium est reparatiõis antiquæ vitæ. Porrò innovatio dierum perceptio est æternitatis. S. Paschasius hic.

Projicite à vobis omnes pravaricationes vestras, in quibus pravaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Ezech. 18. 31.

Ex Novo.

Ab neget semetipsam. Matth. 16. 24. Tunc nos abnegamus, dum vitamur, quòd per vetustatem fuimus; & annitumur, quòd per novitatem vocamur. V. Bæda l. 3. hic. Qui depõnit veterem hominem cum operibus suis, denegat semetipsum, dicens: *vivo autem jam non ego.* Gal. 2. 20. S. Hieron. in Matth. 16.

Facta sunt encaenia in Jerosolymis. Joan. 10. 22. Nulla tam perfecta imago virtutis, ac sanctitatis; ut non penicillum, scalpriumque, quotidie requiratur. Nota: Jerosolymis sunt encaenia, & renovaciones. Nam encaenia, ex S. August. hic. idem sunt, quòd renovatio. Si in Ægypto, vel Babylone, fierent encaenia, vel innovaciones; nihil novum putarem: ubi enim confusions, id est, Babylon; ubi tenebræ, id est, Ægyptus; ibi non tam mira, quàm necessaria, innovatio. Sed non mirare: nulla enim ralis Jerusalem, nulla talis pacis visio; nulla, inquam, tam sancta anima, quæ nihil habeat innovandum, purgandum, perficiendum. Celebrare enim encaenia Theophylacto idem est, quòd ascensiones ponere Davidi. Psal. 83. 6. Ascensiones autem ponit anima, quæ de virtute in virtutem quotidie assurgit, innovaturque, & expolitur. Did. Niss. ser. 4. D. 5. Quadr. §. 6.

Renovamini in spiritu mentis vestre; & induite novum hominem. Ephes. 4. 23. 24. Per novum hominem, interprete Salmerone, Christus intelligitur, juxta illud Rom. 13. 14. *induimini Dominum Jesum Christum.* Mendoza in 1. Reg. 6. 7.

Expoliantes vos veterem hominem. Co-

loss. 3. 9. Quale portentum, ut nemo non libentissimè veterem vestem exuat; si meliòr præstò sit: & nullus non cunctetur exuere veterem Adam; cum novò, optimòque, mox indui, ornarique, queat? Vestes non amamus, nisi novas: & cariosam ita mentem retinemus; ut malimus perire, quàm renovari. Oliya. l. 3. Strom. §. Expoliantes.

Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te. 2. Tim. 1. 6. Resuscitare in Græco propriè est, ignem cineribus conditum, ac sopitum, flatu, folle, aut flabellò fucitare, ut reardefcat. q. d. gratia, quam accepisti, sensim languescit, sopitur, & resinguitur. Vide ergo, ut eam suscites, ut charitatis flammam reaccendas, ejusque ardorem continuò foveas. Ad id flabella, & folles; tibi sint oratio, meditatio, lectio &c. Cornelius hic.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Apoc. 2. 7. Victorinus, & Bæda, per hoc lignum intelligunt Christum; qui in Ecclesiæ paradiso omnibus fruentibus proponitur; idque in Eucharistia, ait Rupertus, & Anastasius Sinaita. l. 1. hex. Paschal. l. 1. de corp. Chr. c. 7. & 8. Alcazar addit: Christum promittere hic suam opem iis per Eucharistiam; qui fortiter apud se statuerint, vota, ac desideria, instaurare; & antiquum studium repetere; nec in virtutum exercitatione languescere. Cornelius hic.

Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen novum. Apoc. 2. 17. S. Hieron. ep. 83. legit *calculum novum*; quem interpretatur esse *cor novum, & spiritum novum.* Ezech. 36. 26. Calculo novo nomen novum inscribitur: ut significetur, novum Jesu nomen non nisi novo cordi, & novo spiritui, inscribendum. Mendoza in 1. Reg. 6. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Nescit mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. S. Gregor. mor. l. 22. c. 2.

Similis similes querit: & Deus profectò similitudinem suam diligit. Vis & tu diligis à Deo tuo? Salvatore tuo? Reforma in te imaginem suam; & amabit te: repara similitudinem suam; & desiderabit te. Richardus à S. Viell. in Pf. 118.

Ad novum pertinet, habere novam animam, quoad novas affectiones, & novas cogitationes, juxta illud Ezech. 36. 26. *dabo vobis cor novum, scilicet quoad affectiones; & spiritum novum ponam in medio vestri, scilicet quoad cogitationes.* Similiter linguam; ut, recedentibus veteribus de ore, linguam novam loquatur; juxta illud Marci ult. 17. *linguis loquentur novis.* Item novam conversationem, juxta illud Rom. 6. 4. *in novitate vitæ ambulemus.* Item nomen novum: ut, qui erat male famæ, jam sit bonæ; juxta If. 62. 2. *vocabitur tibi nomen novum.* Item novum gaudium: ut de nulla re seculari gaudeat; sed solum de divinis. B. Humbertus f. 7. ad Novitios in quocunque Ordine.

Quin-

Quinque renovabuntur, terra, aqua, aër, ignis, cœlum: ita nos modò debemus in quinque renovari; si tunc cupimus salvari, & renovari gloriosè. Renovandus est homo primò in corpore per continentiam; ecce terra. Secundò in anima, per claram benevolentiam; ecce aqua. Tertio in ore, per veram eloquentiam; ecce aër. Quarto in opere, per diligentiam; ecce ignis. Quintò in intentione, per cœlestialem eminentiam; ecce cœlum. Debemus renovari in ore per veram eloquentiam; ad instar aeris post Judicium: quia tunc erit ita clarus, quòd nullam habebit obscuritatem nubium, tempestatem, vel fulgura: sic modò renovandum est os nostrum; ut non sint in eo obscuritates, mendaciorum; nec tempestatem verborum superborum; nec fulgura minarum; nec tonitrua juramentorum. Debemus renovari in intentione per cœlestialem eminentiam ad instar cœli; quod post Judicium accipiet qualitates altas, & claras: sic nos in operibus nostris debemus ordinare intentionem, ut sit alta propter Deum, & non sit bassa propter Mundana, scilicet laudem, vel vanam gloriam. S. Vincent. Ferr. l. 6. Dom. 2. Adv.

Qui fugat à se tepiditatem, & novum concipit fervorem; celebrat in spiritu novum Pascha cum Christo; & canit cum illo jucundum alleluja. Stella de cont. p. 3. c. 17.

Ego sum quasi avis illa, quæ nihil desiderat comedere, nisi recens cor avium; & nihil vult bibere, nisi sanguinem purum cordis avium. Ego nihil desidero, nisi cor recens; id est, animam hominis, bonis operibus, & affectionibus divinis, recentem; cujus charitatis sanguinem bibere desidero. Hæc est enim refe-

ctio mea: Charitas fervens ad Deum, & anima à vitis emundata. In revelat. extravagantibus S. Brigittæ, c. 50. Verba Chr.

Tu nova sponsa mea, venisti in ignotum locum. Oportet ergo te habere quatuor. Primò scire loquelam Dei; secundò habere vestes debitas; tertio scire disponere dies, & tempora, juxta dispositionem loci, quartò novis cibis assuescere. Sic tu, quia, de Mundi instabilitate, venisti ad stabilitatem; ideo oportet te habere novam loquelam, id est, abstinentiam ab inutilibus verbis & quandoque etiam à licitis, propter gravitatem silentii. Vestes tuæ debent esse humilitas interior, & exterior. Tertio moderatio temporis tui est: ut, sicut ad corporis necessitatem habuisti plura tempora; sic nunc unum tempus habeas ad animam: ut scilicet contra me nunquam velis peccare. Quarto novus cibus, est abstinentia à gula, & delectationibus, cum omni discretione l. 1. Revel. S. Brig. c. 34. Verba Chr.

Vide Recollectio. Juventus, Senectus,

§. III.

Renovationis praxes.

Renovamini spiritu, mentis vestra, supple interius; & indutie novum hominem, exterius Ephel. 4. 23. Ille est ordo debitus, ut sicut vita naturalis incipit in interiori homine, id est, in corde, & à corde extrà derivatur: ita etiam vita incipiat spiritualis. Sed quidam habitum interiorem mutant, ad modum, quòd divites sereno aère pretiosius se induunt; ortà pluviam vilibus, & antiquis, quas bajulas sequens portat. Broymard.

TITULUS XI. RESPECTUS HUMANUS.

Motiva spernendi.

Quare dereliquisti pauculas illas, oves in deserto? ego novi superbiam tuam &c. 1. Reg. 17. 28. David, desertis ovibus in deserto, descendit in castra, pugnaturus contra Goliath; fratres ei exprobrant superbiam, & nequitiam cordis: ille propterea non desistit à proposito. Non est declinandum à via recta ob caniculum allatrantem. Conculcandus est coluber, & cerastes, in semita; qui mordere conatur ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrorsum. Gen. 49. 17. Marchantius Dom. Quinquagesimæ.

Ladam, - & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6. 22. Michol irridet maritum suum David, & increpat, quòd coram Arca saltet. Ille sciens, se id fecisse ex amore Dei, non desistit. Id. ibid.

Ipse verò multò magis clamabat. Luc. 18. 39. Quomodo, quamvis multi increparent eum, non tacebat; sed amplius clamabat? Fer-

vor quidam intrinsecus instimulabat eum. Idcirco & Jesus jussit illum adduci ad se: quòd profectò dicturus esset, qui appropriaret ei. Theophylactus hic.

Magister vocat te: illa, ut audivit, surgit cito, & venit ad eum. Joan. 11. 28. 29. Contra urbanitatem egisse videtur nobilis femina: quia, relicto amicis, velut ex abrupto surrexit, & abiit. S. Basilius Seleuc. c. 2. de Lazari resuscit: non verita est turbam, non sinistram opinionem, quam de Christo habebant. Aderant enim multi inimici, qui inter cætera dicebant: non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere, ut hic non moreretur? v. 37. Verum, Præceptore præsentem, humana omnia posthabuit; totaque in unum hoc incubuit, ut Magistro suus constaret honor. de Castillo Illat. 278.

Sæpe agenda aliqua bona proponimus: sed, si unicus contra nos, vel levissimus, sermo ab ore irridentis eruperit, ab intentione actionis